

Observatio I.

*Omnis res mundi, quae jam praesens (actu semel) est & existit, non est heri, vel in ullo praeterito momento.*

SCHOLIION.

Ergo quatenus hoc *Semel* datur & est; illud *Semel* non est, & vice versa.

Observ. II.

*Omnes res mundi coexistentes, simul sunt praesentes, & simul praeteritae, quatenus coexistunt.*

Observ. III.

*Omnia mundi res, postquam uno Semel fuere, denuo Semel sunt, & iterum Semel &c. Sed extra priora Semel posteriora tota cadunt.*

Observ. IV.

*Omnia & Semel Rei, quae totum Semel ejusdem rei praesens praecedunt, praeterita sunt, i.e. non sunt, nihil sunt.*

Postulatum I.

Quamcunque rem mundi, quovis momento sui, praesentem sistere.

Postulat. II.

Quamcunque rem mundi quovis momento, quo non amplius est, ut praeteritam sistere.

Postulat. III.

Quamcunque rem mundi quovis momento, quo nondum est, ut futuram sistere.

Postulat. IV.

Rem aliquam ante mundi res omnes ab aeterno praesistentem ponere.

SCHOLIION.

Licet totum ponere, sistere, quod postulata sibi concedi postulant, de positione mentali sit intelligendum, in statu signato; tamen, ut ipsum, quod postulatur, etiam in exercito statu quoad rem ad minimum possibile sit, & eatenus verum concipi possit, necessum est.

Quaternis hisce principiis, quatuor nempe *Definitionibus*, ut principiis subjectivis, reliquis vero praedicativis & formalibus nempe 4. *Axiomatibus*, 4. *Observationibus*, & 4. *Postulatis*, veritas & certitudo Propositionis demonstrativae nititur. Nec opus hic est *Hypothesi* (declarativa) cum ipsa Thesis absolute, simpliciter, & directe, procedat.

Pro-